

Tempore prædicti Oclaviani Imperatoris, Senatores videntes eum tante pulchritudinis, quod nemo in oculis ejus intueri poterat, & tantæ prosperitatis & pacis, quod totum Mundum sibi tributarium fecerat, dicunt: Te adorare volumus, quia Deitas est in te: Si hoc non esset, non tibi omnia subirent prospera. Qui renuens, inducias postulavit, & ad se Sybillam Tiburtinam vocavit, cui quod Senatores dixerant, recitavit. Quæ spatium trium dierum petiit, in quibus arctum jejunium operata est, post tertium diem respondit Imperatori: Hoc pro certo erit, Domine Imperator.

Judicii signum, Tellus sudore madescet,
 Cælorum Rex adveniet per Secla futurus.
 Scilicet in carne præfens, ut judicet Orbem:
 Unde Deum cernunt incredulus atque fidelis
 Celsum cum Sanctis, cui jam termino in ipso
 Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipse,
 Cum jacet incultus densis in vepribus Orbis,
 Rejicient simulacra viri, curam, quoque gazam
 Exuret terras ignis, pontumque polumque
 Inquirens, tetri postes effringet Averni.
 Sanctorum sed enim cunctæ luxit lux libera carni.
 Trudentur fontes, æternum flamma cremabit,
 Occultos actus retegens. Te quisque loquetur
 Secreta atque Deus referabit pectora luci.
 Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
 Eripitur Solis jubar, & solis inrerit astris.
 Volvetur Cælum, Lunam . . . splendet, obibit.
 Dejiciet montes, valles extollet ab imo.
 Non erit in rebus hominum sublime, vel altum.
 Jam æquantur campi, montes, & cærule ponti;
 Omnia cessabunt; Tellus confracta peribit;
 Sic pariter fontes, torrentes, fluminaque igni.
 Et tuba cum sonitu tristem demittet ab alto
 Orbe gemens miserum facinus, vanosque labores;
 Tartareumque Chaos monstrabit terra deinceps
 Et coram heic Domino Reges sistentur ad unum.
 Procedit . . . e Cælo ignisque & sulphuris amnis.

Hæc de Christi Nativitate, Passione, & Resurrectione, atque secundo Adventu tradita sunt; ut si in Græco Capitulo horum Versibus discernere voluerit, inveniet IHESVS CHRISTVS, HIOS THEV, SOTER, quod in Latinum translatis iisdem Versibus apparet: propter quod Græcarum Litterarum proprietas non adeo potuit observare. Credo vos, o inimici Judæi,